

Respondeo : Præstat ut vitetur profanatio certa et formalis etiam unius Sacramenti, potius quam profanatio incerta tantum unius et alterius. Agitur enim solum de Pœnitentia et de Matrimonio; siquidem præscribi posset FLAVIÆ ut omittat Communionem, utpote non necessariam. Porro in casu, FLAVIA, sciens se non esse absolutam, Sacramentum Matrimonii in statu peccati mortalis recipiet et illud profanabit sine dubio. E contrario, si conditionate absolvatur, probabiliter valebit absolutio in hypothesi, nec proinde de ullo sacrilegio certo constabit. Imo facile FLAVIA sic absoluta versabitur in bona fide, licet forte absolutio invalida sit, et tunc nullo inquinabitur sacrilegio. *Vide dicta de absolutione conditionata, cas. 6 et 7, de Pœnitentia, n. 393 et seq. — V. Comp. n. 436.*

CASUS

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

SEU

De efficacia impedimentorum. — De voto simplici. — De voto ingrediendi Religionem. — De impedimento erroris, — voti solemnitis, — consanguinitatis, — cognationis spiritualis, — affinitatis, honestatis publicæ, — criminis, — disparitatis cultus, — metus, — ligaminis, — clandestinatis. — De matrimoniis hæreticorum. — De assistentia Parochi, etc.

CASUS I.

IMPEDIMENTORUM EFFICACIA.

CELINA, puella, dum, nescio quo casu, in statu involuntariæ ebrietatis versaretur, a TITIO opprimitur. Elapsis pluribus annis, rei prorsus inscia CELINA cum CAIO, TITII fratre, nuptias celebrat. Postea autem, cum id, fatente ipso TITIO, rescivisset, de matrimonii valore multum angitur. Ad GERMANUM Parochum statim properat, dubitationemque suam ei aperit. At ille : « Nihil est quod timeas, filia, inquit; nulla debetur pœna ubi nulla datur culpa, et insuper lex ignorata obligare nequit. »

HINC :

- QUÆR. 1^o *An impedimenta invincibiliter ignorata matrimonium irritent?*
 2^o *An incurrantur, seclusa culpa, ubi rationem pœnæ habent?*
 3^o *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

924. — *R. ad 1^m Quærs. Affirmative.* Ratio est, quia impedimenta dirimentia sunt leges irritantes, quæ proinde matrimonium prorsus invalidum faciunt, licet ignorentur. Irritatio enim locum habet independenter a voluntate et cognitione contrahentis. *V. Comp. n. 787.*

925. — *R. ad 2^m Quærs. Affirmative.* Ratio est, quia in eo casu impedimenta primo habent rationem vinculi, et secundo tantum rationem pœnæ. *V. Comp. n. 788.*

926. — *R. ad 3^m Quærs.* Turpiter et crasse erravit GERMANUS Parochus; non agitur enim ibi de pœna, sed de lege Ecclesiæ, matrimonium irritante : ergo nullum est CELINÆ matrimonium, et proinde, obtenta dispensatione, revalidandum. GERMANUS autem ad studium Theologiæ moralis remittendus est.

CASUS II.

IMPEDIMENTA DUBIA.

ANTONIA, a GERUNDIO viduo in matrimonium requisita, libenter annueret, nisi scrupulus unus aut alter obstaret, scilicet : 1° dubium quoddam de morte mariti sui, in Indias profecti, negotiationis causa, de quo a viginti annis nihil prorsus audivit; 2° dubium de aliqua affinitate cum ipso GERUNDIO contracta, propter turpe consortium inter ipsam ANTONIAM et GERUNDII patrum habitum, non certo tamen consummatum. Scrupulum utrumque facile solvit ABUNDIUS Parochus, qui ait : *Impedimentum dubium, impedimentum nullum est; sicut lex dubia, lex nulla.* Contracto autem matrimonio, audit ANTONIA ab alio Confessario, non sibi licere in tali matrimonio permanere, quia matrimonium dubium jus certum ad cohabitationem dare nequit. Mulier igitur anxia quærit cuiam credendum sit.

HINC :

QUÆR. 1° *An liceat contrahere matrimonium cum impedimento dubio vel probabili?*

2° *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

927. — *R. ad 1^m Quærs.* Distinguendum est inter impedimenta juris, vel facti, et inter impedimenta Juris ecclesiastici, aut Juris divini et naturalis.

Hinc : 1° *Probabilius* licet contrahere matrimonium cum probabilitate impedimenti Juris ecclesiastici, quia Ecclesia censetur defectum supplere cum supplere possit, et nunquam reclamaverit contra doctrinam, sat communiter a Theologis propugnatam, de valore matrimonii in hujusmodi casibus. Ecclesia enim in re tanti momenti silere non potuisset. *V. Comp. n. 789, et S. Lig. n. 901.*

2° Non autem licet contrahere matrimonium cum impedimento dirimente in dubio juris divini, quia probabilitas non tollit periculum invaliditatis Sacramenti, et Ecclesia in hoc casu supplere minime potest.

3° Neque licet matrimonium contrahere cum dubio vel probabilitate facti. Ratio est, quia, cum factum dubium possit subinde evadere certum, maxima incommoda ex separatione conjugum sequerentur. Quapropter communiter docent Theologi tunc Ecclesiam non supplere, quia supplendo minus sapienter ageret. Ergo non censetur supplere. Ergo, in dubio vel probabilitate impedimenti hujusmodi, recurrendum est ad dispensationem pro cautela. Sed juxta multos et graves Auctores sufficit ad Episcopum recurrere. *S. Lig. n. 902. S. Congregatio Conc.*, hac de re interrogata, respondit : *Consulat probatos Auctores; et in casibus dubii gravioris recurrat ad S. Sedem, saltem ad cautelam.* — *Analecta Juris Pontificii, tom. 1, p. 699.*

928. — *R. ad 2^m Quærs.* 1° ANTONIA matrimonium contrahere nequit cum GERUNDIO, quia non est certa de morte mariti sui. In hoc casu non sufficit præsumptio, sed requiritur certitudo. Ecclesia enim pro tali casu non supplet, tum quia est impedimentum juris divini, tum quia agitur de dubio facti. Graviter igitur erravit ABUNDIUS Parochus declarando ANTONIAM tuta conscientia matrimonium contrahere posse.

2° Dubium posterius de affinitate contracta solvendum erat interrogando mulierem, ut ab ea nosceretur qualis generis fuerit consortium istud. Dubio autem remanente, dispensatio *ad cautelam* erat postulanda.

CASUS III.

VOTUM SIMPLEX 1°.

1° FELICITAS vitam cælibem servare vovet; at paulo post (ut inconstans est mulierum genus) ipsam voti pœnitet, cum arridentem nubendi occasionem invenisset. Pergit igitur ad PROCOPIUM, Confessarium, medium quæritans ad importunum vinculum solvendum. Dubitat ipse PROCOPIUS an in illo casu ad Papam, vel ad Episcopum, sit recurrendum.

2° HELENA adit SYLVIVM Confessarium : « Pater, inquit, mulierum miseram rimam ad pedes tuos cernis provolutam. Postquam ego perpetuam voverim castitatem, data occasione, matrimonium contraxi, quin votum, soli Deo notum, cuiquam mortalium patefacerem. Quid nunc, quæso, mihi superest agendum? » Obstupefactus SYLVIVS, quid respondeat plane ignorat; ideoque jubet mulierem alia vice redire. Redit quidem mulier, anxietate adhuc majori percita : « Heu! inquit, vir meus nudius tertius defunctus est! quid faciam! Sola enim remanere nequeo. Jam novæ mihi offeruntur nuptiæ : quæro an illas acceptare valeam? » Sciscitanti *affirmative* respondet Confessarius.

HINC :

QUÆR. 1° *Qualis sit efficacia voti simplicis, sed perpetuæ castitatis, sive quoad matrimonium contrahendum, sive quoad illud cum eo voto jam contractum?*

2° *Quis ab illo voto dispensare possit, sive ante matrimonium, sive nuptiis jam celebratis?*

3° *An dispensatio voti, obtenta ad ineundum matrimonium, sit absoluta et perpetua, vel nova requiratur ad novas nuptias?*

4° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

929. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° Votum castitatis a persona libera emissum, est impedimentum *impediens* matrimonii, ita ut si, seclusa dispensatione a tali voto, illa matrimonium ineat, valide quidem, sed illicite contrahat, gravissimoque peccato coinquinetur.

2° Si matrimonium, stante voto castitatis, inicum fuerit, conjux eo liga-

tus non potest petere neque reddere debitum decurrente primo bimestri. Ratio est, quia ex privilegio divino, ab Ecclesia declarato, matrimonium ratum tunc solvi potest ad statum perfectiorem amplectendum, adeoque nec conjuges ad debitum conjugale tenentur, ut jus electionis servare possint. Porro conjux voto ligatus debitum petere nequit, propter obligationem voti servandi; sed neque reddere potest, cum ad id ratione justitiæ non urgeatur. — Elapso autem primo bimestri, non potest quidem debitum petere, cum voto impediatur; sed reddere valet, quia ad hoc ex justitia comparti debita tenetur. *V. Comp. n. 780.*

930. — *R. ad 2^m Quæst.* Si votum castitatis sit perpetuum et absolutum, est Papæ reservatum ante matrimonii celebrationem; inito autem conjugio, votum castitatis ab Episcopo et Regularibus solvi potest, sive ante matrimonium, sive eo contracto emissum fuerit. Idem quoque dicendum est de voto ad tempus determinatum facto, et etiam de voto perpetuo conditionali, necnon de voto virginitatis seu de voto non nubendi. *V. Comp. n. 125, 175, 780. S. Lig. n. 987.*

931. — *R. ad 3^m Quæst.* Dispensatio censetur tantum data propter præsentis circumstantias, seu ad matrimonium semel ineundum. Eruitur ex modo quo ordinariæ ejusmodi concessio datur; additur enim communiter: *ita ut, conjuge mortuo, cælebs maneat.* A fortiori idem dicendum est, si dispensatio concedatur postquam matrimonium jam contractum est. Proinde dispensatus a voto, comparte mortua, ad novas nuptias absque dispensatione convolare nequit. *Lacroix, de Voto, lib. 3, p. 1, n. 864. — Lugo, Lessius.*

932. — *R. ad 4^m Quæst.* — *Ad 1^m casum:* FELICITAS vovendo vitam cælibem, seu cælibatum servare, non emisit votum perfectæ castitatis, sed tantum votum non nubendi, et consequenter satis est si ad Episcopum, vel Confessarium regularem, pro dispensatione obtinenda recurrat.

933. — *R. ad 2^m casum.* SILVIUS Confessarius dicere debuisset HELENÆ prima vice sibi occurrenti, votum suum posse ab Episcopo, vel etiam a Confessario regulari dispensari, seu potius commutari, quia Episcopi et Regulares facultate gaudent tollendi omne impedimentum ad matrimonii usum. Redeunt autem mulieri declarandum fuisset, recursum ad Curiam Romanam necessarium esse ad obligationem voti solvendam, quia jam non existit ratio ob quam reservatio Papæ cessaverat, et proinde eadem reservatio reviviscit.

CASUS IV.

VOTUM SIMPLEX 2^o.

ROGERIUS, graviter decumbens, vovet Religionem ingredi, si Deus corporis sanitatem restituat. Verum, recuperata sanitate, simul cum morbo evanuit etiam fervor spiritus, et, neglecto voto, matrimonium contraxit. Stimulos tamen conscientiae persentiens ROGERIUS, matrimonio nondum consummato, a Confessario quærit utrum voto adhuc obstringatur, vel a quo dispensationem obtinere possit?

HINC :

QUÆR. 1^o *Quomodo peccaverit ROGERIUS matrimonium ineundo?*

2^o *An voto adhuc ligetur, ita ut, relicta uxore, statim Religionem ingredi debeat?*

3^o *An peccaturus sit, debitum petendo aut reddendo?*

4^o *A quo dispensari possit?*

SOLUTIO :

934. — *R. ad 1^m Quæst.* ROGERIUS peccavit graviter, matrimonium contrahendo, et quidem contra virtutem Religionis. Ratio est, quia votum, licet conditionatum, recuperata valetudine, factum est absolutum, et obligare cœpit. Proinde, uxorem ducendo, ROGERIUS promissionem suam in re gravi violavit, quia vel debet fieri infidelis uxori, ut votum exsequatur, vel infidelis Deo, ut uxori adhæreat.

935. — *R. ad 2^m Quæst.* In primo bimestri, matrimonio non consummato, tenetur adhuc ad votum; etenim in eo casu uxorem licite relinquere posset quilibet alius ad vitam religiosam amplectendam, et a fortiori ipse ROGERIUS id potest. Atqui, si potest, debet, nisi dispensetur, quia adimpletio voti adhuc possibilis est. Sed, consummato matrimonio, votum impletu impossibile fieret.

936. — *R. ad 3^m Quæst.* Distinguendum est: 1^o decurrente primo bimestri, neque potest debitum petere, neque reddere, quia se impotentem efficeret ad votum servandum per matrimonii consummationem. 2^o Matrimonio autem consummato, posset tum petere, tum reddere, quia executio voti facta fuisset impossibilis.

937. — *R. ad 4^m Quæst.* ROGERIUS ab Episcopo dispensationem voti obtinere potest, eo tempore quo adhuc obligatione ligatur, scilicet, in primo bimestri, matrimonio non consummato, ut fert casus. *V. Comp. n. 782.* Plures dicunt obligationem voti ruere per ipsam matrimonii celebrationem, quia si conjux in primo bimestri, non consummato matrimonio, potest Religionem ingredi, hoc fit ex privilegio divino; sed nemo tenetur privilegio uti: ergo nemo tenetur id facere invitus. *V. Elbel, n. 79.* Sed non videtur deserenda sententia communis Theologorum.

CASUS V.

VOTUM INGREDIENDI RELIGIONEM.

LUDIVINA, puella, gravissimo morbo laborans, ac in vitæ discrimen adducta, castitatem, imo et Religionis ingressum vovit, si convalesceret. Reipsa, valetudine recuperata, monasteria pleraque regionis adivit, rogando ut sacro habitu donaretur. Verum intellexit se nullibi admittendam esse in gradum Monialium choro addictarum, sed solum inter eas quæ in humiliori gradu consistunt, quæ Sorores *Conversæ* nuncupantur, nisi Breviario rite legendo ac pronuntiando idonea evaderet. Tunc a voto Religionis se omnino immunem reputavit LUDIVINA, siquidem indignum

sibi videbatur inter inferioris gradus Religiosas accenseri, et præterea, laboriosum nimis, ut aiebat, arbitrata est latinas litteras addiscere. Hinc satis a se factum esse non dubitavit, si promissam Deo castitatem paternis in ædibus custodisset. At, mortuo patre, mox ad egestatem redacta est, cum ipsi occurrit vir sat dives, qui ad eam ducendam etiam sine dote paratus erat. Tunc Confessarium adit, et ab eo quærit quid facere possit, et a quo dispensationem voti castitatis obtinere valeat?

HINC :

QUÆR. 1° *An LUDIVINA debuerit consentire ut admitteretur in gradum inferiorem, si altioris gradus capax non judicaretur?*

2° *An debuerit, voti implendi causa, necessaria addiscere, ut admitteretur inter Moniales choro addictas?*

3° *An a solo Papa concedi potuerit dispensatio a voto castitatis prædicto?*

SOLUTIO :

938. — *R. ad 1^m Quæs.* Si LUDIVINA, vovendo, non aliter se ad Religionem ingrediendam obstringere intenderit quam in statu Monialis choro addictæ, minime tenebatur gradum Sororum in humiliori gradu consistentium amplecti. Quod si non constaret qualis fuerit ejus intentio, judicium ferendum erit ex præsumptione, nimirum ex circumstantiis, sive personalibus, sive domesticis, v. g. conditione, educatione, viribus, et vitæ antea actæ ratione, etc. Ubi autem, omnibus perpensis, apparuerit nonnisi ad statum Monialium choro addictarum puellam se adnumerari intendisse, censenda erit a voto soluta.

939. — *R. ad 2^m Quæs.* Debit LUDIVINA adhibere media saltem ordinaria ut voto exsequendo evaderet idonea, adeoque procurare ut scientiam sufficientem haberet ad Breviarium legendum et recitandum. Attamen, si id LUDIVINÆ longe laboriosius esset quam aliis choro destinatis, vel quam ipsa prævidisset, ab omni obligatione voti adimplendi immunis reputanda erit.

940. — *R. ad 3^m Quæs.* Hæc dispensatio probabilius ab Episcopo concedi potest. Quamvis enim Theologi non pauci contendunt votum perpetuæ castitatis, etiam conditionatum, Papæ reservatum manere, purificata conditione; attamen alii, etiam bene multi, cum S. *Ligorio*, censent votum illud, etiam quando conditio effectum suum consecuta est, ab Episcopo dispensari posse. Ratio est, quia votum Papæ reservatum, ex communissima sententia, debet esse in suo genere perfectum, id est emissum ex perfecto amore virtutis, seu ex puro affectu ad bonum quod promittitur. Sed votum conditionatum, prout in casu nostro contigit, non fuit emissum ex solo affectu ad castitatem, sed etiam, imo et principaliter ex affectu boni alterius, nimirum vitæ conservandæ, vel ex aversione mali temporalis, nempe mortis, ut vovens se ab ea liberaret. Ergo non agitur de voto in suo genere perfecto, etiam verificata conditione; ergo non est Summo Pontifici reservatum.

CASUS VI.

ERROR 1°.

FULBERIUS matrimonium contrahit cum ARETHUSA, quam putat honestam virginem et prædivitem. Celebratis autem nuptiis, detegit eam non solum pravam egisse vitam, sed ex alio gravidam esse, nullis fruentem divitiis, imo ære alieno non parum gravatam. Furore abreptus, ab ea discessit, ad novas nuptias in aliena regione convolaturus. Mox ei offertur occasio ducendi puellam putative nobilem, eamque ducit, ut nobilium affinis fiat. Contracto autem matrimonio, summo dolore comperit, iterum se falsa sponsæ nobilitate delusum esse. Tunc audiens ARETHUSAM repente mortuam esse, in patriam revertitur, tertias ibi nuptias initurus.

HINC :

QUÆR. 1° *Qualis error obstet validitati matrimonii?*

2° *Quid de triplici matrimonio FULBERII?*

SOLUTIO :

941. — *R. ad 1^m Quæs.* Solus error circa personam invalidat matrimonium, quia ille solus tollit libertatem circa objectum, seu substantiam contractus. Excipe, nisi qualitas redundet in substantiam, v. g. si quis intenderet qualitatem sponsæ individuum, et nullatenus aliis communem, puta, si vellet ducere filiam Regis primogenitam; vel si proprie intenderet qualitatem, v. g. nobilitatem primo et personam secundo tantum, aut qualitatem, velut conditionem *sine qua non*. S. *Lig. n. 1014 et seq.* — V. *Comp. n. 795.*

942. — *R. ad 2^m Quæs.* 1° *Primum FULBERII matrimonium* est omnino validum, quia error circa qualitates personæ tantum versatur. Nec obstat quod error causam forte dederit contractui, seu quod FULBERIUS, cognito errore, nolisset contrahere. Ratio est, quia hæc dispositio habitualis nihil facit ad matrimonium invalidandum, siquidem non attenditur in hoc contractu ad id quod fecisset si veritatem novisset, sed quid actu fecerit. Atqui actu FULBERIUS consensit in personam ARETHUSÆ, et quidem absolute absque ulla conditione: ergo valide cum ea contraxit. Accedit quod, si hujusmodi dispositio sufficeret ad matrimonium invalidandum; innumera matrimonia rescinderentur, nec ulla foret matrimonii firmitas; proindeque maxima sequerentur familiarum dissidia, filiorum damna, omnium scandala et totius societatis perturbatio.

943. — 2° *Secundum FULBERII matrimonium* est prorsus irritum. Stante enim matrimonii præcedentis validitate, necessario corrui subsequens vinculum, ob ligaminis impedimentum. An vero valeret, si ex aliqua causa primum non staret? *Per se* esset validum, non obstante errore, qui etiam in hoc casu circa qualitatem tantum versatur. Secus tamen dicendum foret, si hanc qualitatem, seu sponsæ nobilitatem principaliter intendisset FULBERIUS, ut supra dictum est.

3^o *Tertium matrimonium* FULBERII absque difficultate valebit, si aliud non obstet impedimentum. Etenim non obstat primum matrimonium, cum ARETHUSA mortua sit et tumulata. Nec obstat secundum matrimonium, cum ex dictis prorsus invalidum fuerit. Ergo FULBERIUS in pace tertia uxore fruatur, et utinam tandem hæ tertiæ nuptiæ ei faustæ evadant.

CASUS VII.

ERROR 2^o.

ARCONTIUS, ob plura crimina ad triremes in perpetuum damnatus, captata occasione, vincula dirumpit, et fictis litteris se nobilem et divitem exhibens, matrimonium cum GERAFINA, virgine præclara, contrahit. Re autem comperta, ecce adstant satellites, qui comprehensum hominem in carcerem terribilissimum detrudunt. Quærit autem obstupefacta GERAFINA, an alium virum ducere possit?

HINC :

QUÆR. 1^o *Quid de matrimonio ARCONTII cum GERAFINA inito, et an GERAFINA alias nuptias inire possit?*

2^o *Quid, si quis contrahat sub conditione sine qua non talis qualitatis; an error matrimonium invalidaret?*

SOLUTIO :

944. — *R. ad 1^m Quærs.* Matrimonium GERAFINÆ cum ARCONTIO validum reputandum est, quia error, licet ingens et enormis, fuit tamen circa qualitatem solam. Nec obstat quod mulier insigniter decepta fuerit, quia hæc deceptio, quæcumque sit, consensum in personam ARCONTII, in matrimonium accipiendam, non vitiauit: ergo consensus ille substantialiter validus fuit; ergo validum est matrimonium. Porro matrimonium semel validum, est indissolubile. Ergo GERAFINA ad alias nuptias convolare nequit. Si quid autem solatii ipsi tribui possit, istud accipiat, nempe ipsi non esse sufferendam viri adeo invisibilis horrendam societatem, cum separatione a toro et habitatione jam per satellites peracta fuerit. Neque, si ARCONTIUS postea, obtenta gratia, libertati restitueretur, cogenda foret GERAFINA ut cum tali viro cohabitaret. *Elbel, n. 99.*

945. — *R. ad 2^m Quærs.* In hoc casu, sane error matrimonium invalidaret, quia tunc qualitas in ipsam substantiam redundaret, ut supra dictum est. Ratio est, quia consensus contrahentis existentiae qualitatis intentæ omnino alligaretur, et ad hanc qualitatem restringeretur. Esset enim matrimonium vere conditionatum: ergo, non subsistente conditione, eo ipso corrueret consensus, et irritus fieret contractus. Talis autem modus contrahendi omnino reprobatus est; consensus enim conditionatus prorsus illicitus est. Hinc in praxi serio attendant sponsi ad qualitates compartis, quia, contracto semel connubio, remanet inclamandum istud Apostoli: *Alter alterius onera portate.*

CASUS VIII.

VOTUM SOLEMNE.

BERTINA, puella, in ordinem Monialium ingressa, putans, falso se annum ætatis decimum sextum complevisse, ad solemnem Professionem admissa est. Elapsis autem annis quindecim, errore detecto, inaudit Professionem, utpote factam ante completum annum decimum sextum, nullam fuisse et irritam; quapropter animum mutavit simul et habitum, relictoque monasterio matrimonium contraxit.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quandonam votum dirimat matrimonium?*

2^o *An validum fuerit matrimonium BERTINÆ?*

SOLUTIO :

946. — *R. ad 1^m Quærs.* Votum dirimens matrimonium est solum votum solemne castitatis, per Professionem in Religione approbata factum. Votum enim simplex non dirimit matrimonium, sed tantum illud impedit, seu illicitum illud efficit. *V. Comp. n. 780 et 797.*

R. ad 2^m Quærs. Ut quæstioni respondeatur, antea sciendum est utrum BERTINA votis solemnibus Religionis ligata sit, necne. Licet enim invalida fuerit prima emissio votorum propter defectum ætatis, potuit bene subsequenter decursu temporis validari. Si autem aliquando, v. g. in votorum renovatione, validata fuit Professio, matrimonium subsequens est prorsus invalidum. Quid igitur de Professione BERTINÆ statuendum?

947. — 1^o In foro externo ecclesiastico, præsumitur BERTINA valide Professionem emisisse, et proinde invalide nuptias celebrasse. Ratio est, quia prudenter præsumitur eam Monialem, intra tam longum tempus, suam Professionem ratam habuisse, saltem tacite, præsertim si interea contra valorem Professionis nunquam reclamaverit.

948. — 2^o In foro autem interno, res tota pendet a consensu posteriori BERTINÆ in Professionem, saltem implicite, ratam habendam. Consensus enim ille ab Ecclesia suppleri non potest. Hinc valida censi debet Professio, si BERTINA, postquam novit priorem emissionem votorum fuisse irritam, eam ratam habuerit; vel etiam, si libenter et animo volenti vota priora renovaverit, ut fieri solet apud Moniales, pluries aut semel in anno solemniter, vel etiam secreto, ex privata devotione. Invalida autem habenda erit, si BERTINAM semper pœnituerit quod statum religiosum amplectata fuerit, vel vota renovavit cum aliis cum displicentia, invito animo, et tantum ex eo quod se jam ligatam putabat, certe non renovatura si invaliditatem primæ Professionis novisset. Interroganda igitur est BERTINA, et ex ejus sincera responsione colliges utrum Professio ejusdem ut valida sit habenda, et consequenter invalidum ejus matrimonium, aut vice versa. Plerumque, si judicium feras ex plurimum contingentibus, pro valore Professionis et matrimonii invaliditate concludes. *Elbel, n. 111.*